

---

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

APOPLEXIA.

---





TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,  
DE

APOPLEXIA,

QUOD,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

*ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI.*

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,  
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER MELVILLE,  
SCOTUS;

SOC. REG. PHYS. EDIN. SOC.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI,  
CUM PRIVILEGIO,  
APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCXCVII.





PATRI OPTIMO,

ANDREÆ MELVILLE,

DE

HALLFIELD, ARMIGERO,


HAS

STUDIORUM PRIMITIAS,

CONSECRAT

FILIUS.





Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library







---

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

APOPLEXIA.

---

AUCTORE, ALEXANDRO MELVILLE.

---

UTPOTE gradu tantum a paralyſi apoplexia  
discrepat, diſſertationis plenæ argumentum minus  
aptum videatur; iſtas igitur affectiones tanquam  
diſerſa ejuſdem morbi ſtadia, aut varietates, ha-  
bebimus: quia hac ratione hiſtoria erit magis per-  
fecta;



fecta; et morbo veniente occurrendi consilia evidentiora fient.

Apoplexiam strictiùs ita dictam, CULLENUS nosiologus, modo sequente definit:—

“ Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum  
 “ sopore, plus minus profundo, superstite motu  
 “ cordis et arteriarum.”

Et sic paralyfin :

“ Motus voluntarii nonnulli tantum imminuti,  
 “ sæpe cum sopore \*.”

Cùm autem nulla definitio cuncta morbi phœnomena complecti queat, historiam ejusdem pleniorẽ tradere conabimur.

SECT.

\* Vid. CULL. *Synops. Nosolog. Method.* Tom. II. Gen. XLII et XLIII.



## S E C T. I.

*De Phænomenis.*

HISTORIA medica, ob diversas, quas morbus induit, species, difficultate haud parva premitur: modo enim apoplexiæ, omnibus suis numeris absolutæ, formâ, impetum derepentè facit; modo autem cum signis paralyseos plus minus generalis et distinctæ nervis tardè obrepit, donec tandem causâ excitante graviore, sed ejusdem generis ac illa, quæ primæ affectioni originem dedit, superveniente, subito ad summum inveterationis suæ gradum, perfectam nimirum sensus et motus *voluntarii* imminutionem, vel ad minorem tantum, hemiplegiam scilicet, exurgit.

Posito morbum posteriori forma, hoc est, tardè incipere, varia diversorum stadiorum signa enumerare aggrediar.

Hebetudo, torpor, et subinde vertigo, nec non capitis dolor modò subito obortus, modò tardè et paulatim obrepens, sunt inter prima signa, quæ se ostendunt. Somnolentia morbum formidolosiorum haud raro prægreditur : et interdum menses, immo annos, ante paroxysmum perstat.

Cordis et arteriarum actio nonnunquam paululum augetur : et sudores in fronte prorumpunt : tinnitus aurium interdum, et, quod huic affine est, fugax audiendi gravitas, adsunt. Visus quoque sæpe minuitur, vel prorsus, ad tempus, aboletur : alia porro oculi vitia haud raro se ostendunt, unus enim, aut ambo rubescunt : jamque suffusio, aut muscæ volitantes, vel strabismus visus duplicis phænomena plus minus exhibens, plerumque adsunt.

Præter hæc multarum aliarum corporis partium, veluti digitorum, &c. paralysis astat : ægerque, inter expergiscendum, alterius corporis lateris torporem



porem nonnunquam sentit ; hoc autem levioris potius paroxysmi effectus, quam prodromus habendum videtur \*. Loquendi organa pariter afficiuntur ; lingua titubat ; nec verba amplius distinctè effertur.

Nec minus læduntur sensus interni : memoria insignitè minuitur : hujus autem vitii plures sunt varietates, quibus non minus phycos quam *metaphysicos* studere oportet.

Aliàs memoria longè aliter se habet ; modo enim res ipsæ, ex animo penitus effluunt, dum nominum recordatio intacta manet : hoc celeberrimus GREGORY in prælectionibus suis illustrat ; exemplum narrat insigne mulieris, quæ, licet rerum nomina in memoriam revocare potuerit, se tamen filioli sui matrem fuisse oblita est. Contrà ægrorum exempla non desunt, qui, ut Van. SWIETEN scribit, “ Non possunt vera rebus designandis vocabula  
“ inve-

\* GREG. Prælect.

“ invenire ; manibus, pedibus, totius corporis nixu  
 “ conabantur explicare miseri quid vellent, nec  
 “ poterant tamen.”

Artuum tremores sæpe adfunt ; incubus et infomnia horribilia hujusmodi affectiones comitantur ; sanguis ex naribus sæpe erumpit ; nausea et vomitione non raro adstantibus.

Postquam hæc signa per aliquod tempus plus minus gravia persistierint, æger subito, quasi fulmine tactus, apoplexia propriè iuc dictâ vel hemephlegia corripitur : hoc quoque interdum, nullis signis antecedentibus evenit :

Ac velut in somnis, oculos ubi languida preffit  
 Nocte quies, necquiquam avidos extendere cursus  
 Velle videmur, et in mediis conatibus ægri  
 Succidimus ; non lingua valet, non corpore notæ  
 Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.

VIRG.

Morbi, sive nullo monito prævio, sive post signorum



rum seriem supra memoratorum, impetum fecerit, historia est admodum varia: modò enim signa sunt eadem ac illa quæ definitio complectitur; modò autem concursu et gradu infinitè fere variantur: sopor enim adeò est nonnunquam imo fere semper, profundus, ut sensus externi, licet stimuli validissimi admoveantur, functionibus suis peragendis prorsus impares evadant; ita ut lux et strepitus parum vel nihil valeant; hoc autem non est perpetuum; dantur enim exempla, in quibus ægri vident, audiunt, et tactu percipiunt.

Motus voluntarii, quoque muscoli non minus quam organa sensuum afficiuntur; flaccidi et sine sensu existunt, ne quidem *cauterio actuali* excitandi: hic autem mobilitatis defectus gradu multum variat; in nonnullis enim casibus, acribus admotis, solito more cientur.

Spiritus est plerumque difficilis, frequens, abnormis, et sæpe rhoncho concitatur; hoc autem signum  
maxi-

maximâ ex parte fortuitum est ; minimèque morbi violentiam notat.

Convulsiones sunt sæpe generales ac validæ : interdum verò quasdam tantum corporis partes afficiunt, levesque existunt : ita ut iris sola nonnunquam patiatur.

In quibusdam casibus alterum corporis latus convulsionibus laborat ; altero simul paralyfi affecto.

Arteriarum pulsus sunt admodum varii ; plerumque autem, ineunte morbo, paulatim se submitunt ; nec raro denuo validiores ac frequentiores futuri. Dr SPENS exemplum narrat, in quo pulsus ad 9 usque descenderit \* ; qui casus omnium memoriæ proditorum tardissimus est : nonnunquam penitus deficit ; et brevi iterum viget, et supra normam naturalem ascendit ; plerumque est  
vali-

\* DUNCAN'S Medical Commentaries 1793.

validus : modò verò præter naturam debilis existit.

Faciei color est admodum varius, modò purpureus, modò niger Æthiopsis vultum refrens ; nec contra defunt multa exempla quibus color erat naturalis. Oculi sunt sæpe rubri, turgidi, semiaperti, ac vitrei, cum pupillis nonnunquam ampliatis \*. Musculi oris, quod non sine magna difficultate aperiri potest, spasms afficiuntur. Colli venæ turgidæ fiunt ; et arteriarum carotidum pulsus nonnunquam clare etiam ad insignem distantiam conspici possunt, cujus rei exemplum notabile in hujus urbis noscomio nuper vidi.

Devorandi vis vel minuitur, vel penitus deletur, et lingua paralyti corripitur : urina modò prorsus supprimitur ; modò præter voluntatem elabitur ; sudor aliàs tenuis, aliàs viscidus ac gelidus prorumpit, et lymphæ aut sanguis ex naribus, ore,

B

auri.

\* JUNCKERUS, pag. 900, de Signis Apoplexiæ.



auribus, aliave, qua data porta, via, profunditur.

Morbo funesto evasuro, signa cursum magis stabilem ac fixum legunt : spirandi difficultas magis magisque ingravescit, donec tandem thoracis motus vix percipi potest ; arteriarum ictus frequentiores ac debiliores fiunt, et demum intermittunt, vel penitus cessant ; spuma ex ore fluit : totum corpus gelido sudore diffluit, ægerque tandem animam efflat.

Apoplexia autem exquisitior non hoc modo semper infaustè terminatur : frequentius enim in hemiplegiam definit : ægerque vitam miserrimam trahit ; donec alter, tertiusve impetus miseriæ finem imponat. Quando hæc morbi forma ægrum adoritur, ponderis in latere affecto, et interdum stuporis, sed raro doloris, sensus, percipitur. Arteriæ initio frequentes plerumque micant ; postea autem pulsus minuitur ; et interdum, licet hoc

hoc admodum raro evenit, penitus ad tempus cessat, brevi iterum excitandus. Alvus plerumque comprimitur; in quibusdam exemplis sudor viscidus in parte affecta observatur; et nonnunquam in totum corpus diffunditur\*. Cutis est sæpe arida, et interdum, admodum autem raro, latus paralyti non affectum convulsionibus corripitur †.

Interea musculi faciei et oris lateris affecti deorsum trahuntur; et lingua, quando exseritur, latus affectum versus pellitur ‡, functionibusque suis peragendis omnino impar evadit. Formicatio molesta sensum, qui, nervo presso, exoritur, simulans, ægrum vexat; et in parte affecta sensus quasi insectorum super eandem repentium sæpe percipitur. Tremores quoque ægrum admodum sæpe, et diræ

B 2

con-

\* HIPPOCR. Epid. p. 766.

† HOFFMANN. Syst. Rat. Tom. IV. p. 27.

‡ GREGORIUS. Prælect. Clin.

convulsiones agitant \*. Et postquam morbus diu perstiterit, partes affectæ macie conficiuntur, et muscoli plerumque rigidi fiunt †.

Tactus plus minus afficitur, non tamen penitus aboletur : plerumque autem nullam læsionem insignem patitur. Professor GREGORY exemplum narrat philosophorum et medicorum attentione dignum, in quo alterius lateris motus, sensu tactus illæso perstante, penitus abolitus erat, dum simul lateris contrarii sensus, mobilitate integra manente, omnino perditus reperiebatur ; adeo ut, stimulantibus lateri paralyti affecto admotis, nullus sensus excitaretur ; iisdem autem partibus ultra medias vertebrae applicatis, sensus more solito illico ciceretur.

Morbus in hoc stadio in mortem interdum definit : sæpius autem apoplexia iterum iterumque supervenit, ægrumque tandem rapit : et etiam in casibus, in quibus morbus hanc proclivitatem in-

fau-

\* SENAC. de la Structure du Cœur.

† De HAEN de Hemeplegia, p. 31.



laustam non ostendit, paroxysmi reditus semper timendus est; quia partes vim morbi deletricem semel passæ vigorem pristinum rarissimè recuperant; et lugenda animi debilitas semper superest; “ Sic  
“ ut viderim,” inquit illustris Van SWIETEN, “ sa-  
“ pientissimis antea viris, et fortissimis militibus  
“ masculum illud animi robur adeo fuisse enerva-  
“ tum, ut, flebilis pueri instar, ob lævissimam cau-  
“ sam in lachrymas solvantur \*.”

SECT.

\* Prælect. Vol. II. p. 659.

## S E C T. II.

*De Causis Remotis.*

HÆ in duas species dividendæ sunt ; in istas nimirum quæ homines obnoxios reddunt, et quæ in jam obnoxiiis morbum concitant. Illæ, linguâ medicorum *prædisponentes*, hæ *excitantes* sive *occasionales* dicuntur.

*De Prædisponentibus.*

NATURAM certam ac definitam sanguinis copiam cursu æquabile et constante ad cerebrum mittere, non solum ex figura et structura cranii foraminum per quæ vasa sanguinem vehentia transeunt, sed etiam ex vasorum ipsorum cranium jam ingressorum fabrica, et cursu sinuoso, et commercio, sum-

ma cura voluisse patet. Ex hac miranda fabrica hunc æquabilem sanguinis cursum ac copiam consilio cuidam utilissimo in œconomia animalium inservire colligere fas est: necnon sensorii functiones, et diversos machinæ motus ex eodem artificio magna ex parte pendere, nobis verisimile videtur.

Quando causæ agunt quæ cursum sanguinis abnormem caput versus faciunt, morbus, interdum, frustra repugnante naturâ, concitatur: quædam enim corporis conditiones, vel ex fabrica congenita, vel ex vitio, progrediente vitâ, collecto, naturæ consilio haud parum adversantur; et sic corpus morbo multo opportunius, quam solitis rebus circumstantibus, reddunt. Hæ corporis conditiones sunt præsertim, ætas ingravescens; caput magnum; collum breve; obesitas; nimia corporis plenitudo; et ebrietas frequens. Harum rationem nunc ordine reddere conabor:

*Ætas ingravescens.*—Malum de quo agitur primam



mam raro ad oritur aetatem ; plerumque enim tem-  
 pore quod annum quadragesimum inter et summam  
 senectutem labitur, occidere solet : quamvisque res  
 nonnunquam aliter se habuerit, hoc tamen nihil de  
 lege generali derogat, sed de multo multo  
 id est aliis aliis aliis aliis aliis aliis aliis aliis aliis  
 Quare aetas provecta huic malo præ juniore,  
 opportuna existit, ex periculis Doctoris WIN-  
 TRINGHAM, me saltem iudice, exponi potest : ex  
 his enim arterias, si venis componantur, majorem,  
 progrediente vita, rigiditatem acquirere constat ;  
 hinc sanguis solito majore copia in venas propelli-  
 tur : et hæ distenduntur, et tonum majorem arte-  
 riarum rigiditati æquandæ parem adipiscuntur : si  
 autem ultra modum distendantur, tantum aberit, ut  
 vires, pro rata distensione, majores adipiscantur, ut  
 etiam, cæterarum partium musculosarum instar, in-  
 signiter præter naturam infirmentur ; et distensione  
 adhuc majore adhibitâ, paralyfi demum afficiantur ;  
 qui quidem effectus in omnibus partibus musculosis,  
 ut in oculis, in auribus, in lingua, in guttore, in  
 ultra

ultra modum distentis, ex quadam œconomix animalis lege in univcrsum oriuntur.

Et sane venas in ætate provectis summum prope modum tonum ob distentionem, quam, progrediente vitâ patiuntur, adipisci verisimile vedebitur: hinc si cordis et arteriarum actio ex quavis causa augeatur, venæ ulterius distendentur: et tonum suum partim amittent, ita ut sanguinis cursus per easdem impeditus, aut saltem tardatus, reditui ejusdem in arterias faveat; et hinc apoplexiæ impetum facile concitet; eoque facilius hunc effectum edat, quod capitis, præ cæterarum corporis partium arteriæ, in ætate provectis rigidæ, ac fragiles, existunt.

*Caput magnum* haud parum huic morbo favere nemo sanus negaverit: et licet variæ expositiones elaboratæ et tanquam elucubratæ a variis auctoribus prolatae fuerint, rei tamen pathologiæ atrâ adhuc caligine mergitur: VAN SWIETEN

caput magnum necessarium colli brevioris effectum opinatur; et hinc, ipso iudice, ratio facile redditur, quare caput magnum homines apoplexiæ opportunos reddit: hæc autem rei enodatio minime, ut mihi videtur, admittenda est: sæpe enim colla longa capitibus magnis instructa videmus. Hunc nodum, non sine magna diffidentia sequenti ratione solvere audemus.

Sanguinis circuitus intra cranium, situ corporis erecto, alii paret naturæ legi, præter has, quibus in cæteris corporis partibus absolvitur, ponderi nimirum aëris atmospherici arterias carotides extra cranium, non autem intra prementis: hoc posito, cum venæ sunt arteriis longiores: ex principiis hydraulicis easdem, ad sanguinem per partes cranii internas, situ corporis erecto, nulla vi cordis aut arteriarum adjuvante, vehendum valere manifestum est.

Cum autem hæc vis, tandem erecto corporis situ, sanguini reducendo infervit, neque impul-

sum



sum necessarium impertit; causas, quæ sanguinis cursum in cæteris corporis partibus absolvunt eidem superadditas invenimus: hoc autem de arteriis solis verum est: venæ enim tuborum metallicorum instar, actioni inhabiles existunt: sanguis igitur per easdem partim vi *hydrostatica* supra memorata, et partim vi a tergo vehatur oportet: et hinc patet, quo longior est circuitus venarum, eo majore arteriarum vi opus esse ad sanguinem cum justo impetu per sinus propellandum. Multae autem res in capite præter naturam magno reddunt vim, quam arteriæ sanguini impertiunt, minorem renixu, quem venæ et sinus eidem opponunt: ob majorem enim arteriarum longitudinem in capitibus magnis, vis quam cordat, magis subiget, antequam sanguis ad venarum initia pervenerit; hincque vis a tergo in capite præter naturam magno erit præter solitum parva: quamvis ob majorem finuum longitudinem, et præsertim ob curvaturas eorundem majores, majori arteriarum vi opus est, quam in ex-

emplis ordinariis. Hic igitur renixus, quem major finuum longitudo, et curvaturæ eorundem profundiores vi a tergo opponunt, redditur sanguinis arterias versus favebit, quod harum actionem augebit; et rebus circumstantibus secundis, effusionem efficiet: quamam vero ratione hæc apoplexiam excitat, exponemus, ubi de causa proxima agetur.

*Collum breve.*---Vis circuitus sanguinis in partibus prope cor sitis est major quam in remotioribus: hinc manifestum est, quibus collum est brevius, iis cerebrum, vi sanguinis circuitus auctâ, multo magis præter solitum pressum iri, quam his, qui collo longiori instructi sunt: illisque apoplexiam, aut paralyfin, causa excitante agente, facile concitari posse, dum hi eisdem rebus circumstantibus, ab his malis immunes evaderent.

*Obesitas.*---HIPPOCRATES ipse graciles diutius quam obesos vivere observavit; multi quidem enu-

merari



merari possent morbi, qui obesitatem causam suam agnoscunt: nulli autem, qui originem suam ex gracili ac macilento corporis habitu ducunt. Textus cellulofus cutem inter et musculos, et omentum, sunt precipuæ adipis sedes; qui evidentur efficit, ut sanguis interiores corporis partes, cerebrum nimirum, pulmonem, ceteraque viscera versus pellatur; vasa enim quæ per telam cellulofam transeunt, adipe premantur oportet; hinc sanguinis per eandem transitus difficilior fiet; et halitus cuticularis suppressio, et abnormis sanguinis distributio interiora versus subsequenter. Porro tota tela cellulosa adipe distenta, et omentum omnia vasa vicina compriment; et hoc modo ad eundem effectum præstandum haud parum conferent. Quanam ratione internarum partium plenitudo proclivitatem in apoplexiam facit, satis jam patet.

*Nimia corporis plenitudo.*---Hæc inter causas prædisponentes primum fere locum tenet: præcipue



cipue hujus vitii causæ sunt exinanitionum foliatarum suppressio ; hæmorrhagiæ five sponte, five arte fiant ; ignarum vitæ genus ; et diæta plenior.

Ratio, qua pleræque harum causarum corporis plenitudinem efficiunt, adeo manifesta est, ut nulla expositione indigeat. Hæmorrhagiæ plenitudini, vires arteriarum extremarum minuendo favere videntur : his enim magna sanguinis jacturâ debilibus, excretiones omnes languide perficiuntur ; hinc egesta pro rata parte minora fient ; et nimia humorum copia brevi congeretur.

*Ebrietas frequens* ultima harum causarum, duplici ratione agere videtur : vim enim cordis et arteriarum ultra modum auget ; et inordinatum sanguinis cursum sæpius caput versus faciendo, vasa proclivitatem ad actionem istam inordinatam præter naturam acquirunt, quod hominem apoplexiæ, causis occasionalibus, etiã levibus admotis, obnoxiam reddit.

*De Occasionalibus.*

MORBUS nonnunquam adeo derepente impetum facit, et res circumstantes sunt adeo obscuræ, ut nulla causa occasionalis percipi possit; interdum vero hæ causæ satis manifestæ fiunt. Et precipuæ esse videntur exercitatio corporis vehemens; tussis et sternutatio; animi affectiones; calor externus; balneum calidum; ebrietas; crapula; quivis corporis situs, qui cursui sanguinis per arterias in caput favet, reditumve ejusdem per venas impedit; ligaturæ circa collum; cervix subito, vel diu rotata; cœli temperies et varietates; et polypi circa cor; de quibus paucula ordine jam dicemus.

*Exercitatio corporis vehemens.*---Justa musculorum actio sanguinis circuitui necessaria est, vehementior autem sanguinem solito majore vi et copia ad partes corporis interiores, qua quippe san-

guis



guinis impetui minus resistitur, impellit. Hoc docet pallor qui musculo se contrahenti semper supervenit; quod manifestè pendet ex sanguinis quantitate, quam musculus amisit, quæque necessario ad partes internas utpote minus renitentes defertur; cumque cerebrum cranio defensum, omnium partium, pressurâ maxime immune existit; sanguis ibidem facilius quam alibi corporis accumulabitur: præterea pressus quem ipsi arteriarum trunci, musculis, inter contrahendum, tumentibus, patiuntur, haud parum ad hunc effectum edendum confert. Porro in omninifu corporis vehementiori inspiratio plena ac profunda sem-

per fit, quæ non solum sanguinis reditum a capite impedit, sed etiam eundem per arterias carotides insigni vi ad cerebrum mittit: ob pressuram enim quam pulmo, aëre jam præter solitum distentus, venis sanguinem ex eodem reducentibus infert, sanguis insigni velocitate in auriculam cordis sinistram feratur: nec desunt exem-

pla hominum quibus ex hac causa sanguis ex fa-



ciei vasculis prorupit, et similis sanguinis fluxus in vasis internis, similisque arteriarum ruptura facile concipi possunt. Ad hoc caput referri possunt omnes pulmones nisus, sive hi loquela vehementiore, cantu, aut instrumentorum musicorum inflatu fiant. Vis insignis quâ cantus ad hunc morbum concitandum valet, exemplum nobis VAN SWIETEN tradidit. Celeberrima cantatrix VINDOBONÆ quoties tonos quosdam canere conaretur, vertigine corripiebatur, facies turgescibat, et rubore suffundebatur: hincque suum vitæ institutum relinquere coacta fuit.\*

*Tussis et Sternutatio.*---Hæ violentiores corporis agitationes haud raro apoplexiam concitent: tussi vehementiore facies statim rubore suffunditur, sanguisque motus præter solitum intenditur; quod omnes fere norunt. Eruditus GREGORY exemplum in suis prælectionibus nar-

D

rat.

\* Comment. Aph. 1010. 38.

rat, quod huic rei plus luminis, quam quodvis ratiocinium offundit puero, qui pertussi laborabat, sanguinis fluxus caput versus tantus existerat, ut oculi ob sanguinis in tunica adnata congestionem lignum quod Anglice *Mahogany* nuncupatur, colore referrent. Risus vel fletus eundem effectum interdum edere potuerint.

*Animi affectiones.*---Animi motus, qui huic effectui præstando pares inveniuntur, sunt præsertim illi qui excitantes appellantur; inter hos præcipue eminent ira, quæ in signi quidem actionis cordis et arteriarum et præcipue capitis vasorum excitandæ vi pollet: excandescenti facies rubore iræ indice subito suffunditur; consimilis sanguinis impetus in vasis cerebri oboriens apoplexiæ, ut facile concipi potest, haud raro ansam præbebit: nervorum insuper distentio sæpe ex abnormi hoc animi effectu exoritur; quod insigniter docet quantâ vi ira in sensorio et nervis pollet.

*Calor*

*Calor externus.*---Vix hic loci memorare opus est quanta vi calor in totum genus vasculorum agit, quamque facile hunc morbum excitat, præsertim si cum aëre corrupto, ubi plures simul congregantur, jungatur: ante focum luculentum sedentibus status minori apoplexiæ similis obrepit; nec etiam optima sanitate utentes huic causæ objecti languore ac somnolentia immunes evaserint.

*Balneum tepidum.*---Hujus effectus partim ex caloris stimulo, ut supra jam exposuimus, et partim ex toto genere nervoso laxato, aut soluto, pendent: nec defunt exempla hydropicorum, qui tepidario immerfi apoplexiâ correpti subito corruerunt.

*Ebrietas.*---Hanc causis apoplexiæ prædisponentibus supra jam annumeravimus; nec eadem rarius causa morbi excitans existit: et sane ebrietas ipsa est corporis et animi status apoplexiæ



plexiæ haud abfimilis; nec utriusque conditionis causæ aliter quam gradu solo discrepare mihi videntur: aucta vasorum sanguinem ad cerebrum vehentium actio ex faciei rubore et plenitudinis in capite sensu manifeste patet: et hæc apoplexiæ varietas potius ex pressu, quem aucta vasorum actio cerebro infert, quam ex effusione pendere videtur.

*Crapula.*---Nulla causa cognoscitur, quæ apoplexiam sæpius quam crapula excitat.

“Ense cadunt multi, perimit sed crapula plures,

“Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.”

Nec hoc satyricum sagacis HOGARTH peniculum fugere potuit. Hujus effectus, pariter ac somnolentiæ, quæ ingurgitationi supervenit, nonnulli rationem ex ventriculo ultra modum distento aortam comprimente petere solent: parum autem evidens est, talem effectum hac ratione fieri posse,

ni ventriculus immanè distendatur; eadem quippe somnolentia animalibus, quæ nullam habent aortam post cibum copiose sumptum obrepit; ex pressura igitur aortæ illata, vix, aut ne vix quidem, pendere potest.

*Quivis corporis situs, qui cursui sanguinis per arterias in caput favet, reditumve ejusdem per venas impedit.*---His causis annumerari debent corporis inclinatio, et decubitus cum capite præter solitum humili; tantus est primæ harum causarum effectus, ut nonnullis inter corpus inclinandum memoria penitus deficiat: talium autem fituum effectus ex consuetudine plurimum pendent.

*Ligaturæ circa collum.*---Hæ venas plus quam arterias, propter illarum situm compriment, quod sanguinis cursum arterias versus repellendo morbum nonnunquam concitaverit.

*Cervix subito, vel diu rotata.*---Hæc res a Doctore FOTHERGILL memorata quibusdam argutiola forsitan videbitur: minime tamen negligenda est: quo brevior fuerit ægri cervix eo major erit effectus: venæ enim jugulares breviores majorem distentionem quam longiores capitis rotatione patiuntur.

*Cæli temperies et varietas.*---Hæc affectio quibusdam annis, et tempestatibus, præ cæteris adeo frequens existit; ut a quibusdam pro morbo per populum grassante habita fuerit. Hoc cæli temperiei subito, veluti ex frigida in calidam, mutatæ tribuendum videtur: hinc morbus frequentius vere, quam quavis alia anni tempestate se ostendit. Systemate vasculoso exquisitius librato, sanguinis distributio abnormis stimulo caloris externi caput versus fieri potest: et hoc modo morbus ex hac causa oritur verisimile est.



*Polypi circa cor.*---Quamvis pleræque harum concretionum, quæ tam sæpe in corde partibusque eidem vicinis reperiuntur, post mortem formantur; nonnunquam tamen in corpore vivo existunt, variisque, non solum capitis, sed etiam aliarum corporis partium morbis et præsertim apoplexiæ, vel hemiplegiæ ansam facile præbent.

SECT.

## SECT. III.

*De Causa Proxima.*

QUAEDAM sensorii et nervorum conditio, qua vires eorundem actuosæ vel multum imminuuntur vel prorsus abolentur, hujus morbi causa proxima habenda est.

Hæc morboſa conditio duplici, ut mihi videtur ratione effici poteſt ; ſcilicet,

1mo, Preſſu præter naturam cerebro, aut nervis illato.

2do, Viribus ſedantibus corpori admotis.

Preſſuram cerebro illatam, cauſam morbo concitando parem exiſtere probatur, animum adver-  
tendo

tendo ad cerebri conditionem cranii fracturâ inductam. Illustris BOERHAVIUS insigne nobis exemplum tradit quod hanc rem clarissime demonstrat.\*

Homini vivo pars cranii sublata fuit, ita ut dura mater in conspectum venerit : pressurâ levi huic duræ matris parti admotâ, tinnitum aurium et scintillas oculis obvolitantes æger cum vertigine percipiebat ; pressurâ majore adhibitâ, obdormiscebat ; et pressu magis adhuc aucto, clarè stertebat : hinc dubitari non potest, quin pressura causa corporis conditione, de qua hic agitur, inducendæ par existat.

Cerebri pressura apoplexiam vel hemiplegiam efficiens ad quatuor fontes referri potest, hi sunt.

*Imo*, Vis externa cranii partem deprimens.

E

\* Prælect. vol. ii. p. 659.



2do, Tumores intra cranium generati.

3tio, Vis sanguinis cerebri vasa distendens.

4to, Sanguinis aut feri effusio intra cranium.

De duabus posterioribus causis tantum agemus; duæ enim priores chirurgo concedendæ sunt.

De modo, quo hæ causæ morbum proximè excitant, variè inter varios *pathologos* disputatum est.

Creditum est, et adhuc creditur, fluida in cerebri ventriculos, vel alias cerebri partes, effusa, in primo casu, et vim sanguinis vasa distendentem in secundo, morbum concitare, cerebrum compri-  
mendo, hoc est, in spatium minus evidenter coarctando; et quod hinc consequens est, vasa ipsa, haud amplius solito more sustentata, distendi.

Cele-

Celeberrimus autem Professor MONRO negat cerebrum, durante vitâ ita comprimi posse, ut spatium minus manifestè occupet; vir enim sagax experimento simplice de industria ad hanc litem dirimendam factò, cerebrum in spatium minus contractatum non demonstrari posse, invenit.

Cerebri ovilli portionem infra aquam excisam ampullæ vitræ aquâ prope modum plenæ, eodem loci sitæ indidit; et in ampullæ cervice locum ad quem aqua assurgebat adamante notavit: deinde vasis collo vesicam aëre distentam firmiter affixit; quo factò, vesicam insigni vi compressit; nec tamen aqua vel minimum quidem depressa fuit.

Hoc experimentum, ut opinor, extra omnem dubitationem probat, cerebri substantiam nulla vi cordis et arteriarum actione illatâ ita comprimi posse, ut spatium evidenter minus occupet.

Hinc sequitur sanguinis quantitatem in capite existentem augeri non posse, ita ut incrementum sensibus nostris percepi possit, quamdiu cerebri substantia integra, et cranii parietes in statu naturali persisterent, copia licet sanguinis major, quovis dato tempore, ob majorem vasorum actionem per idem transeat.

Apoplexia igitur pendere non potest ex compressione cerebri molem evidenter imminuente: cum autem morbum ex pressu cerebro illato oriri pro certo constat; laticem in ventriculos vel alias cerebri partes effusum, et vasorum conditionem nullo alio operandi modo evidenti morbum inducere concludamus oportet.

2do, Causa apoplexiæ proxima viribus sedantibus corpori admotis induci potest.

Hujusmodi causæ sunt vapores *hydrargyri*, plumbum, aliaque venena metallica; opium, alcohol



cohol et multa alia *narcotia*: *gas acidum carbonicum*, alique vapores *mephitici*: quibus annumerari possunt vires frigoris sedantes, cerebri concussio, ictus electrici, et quidam animi affectus: et inter has pathemata deprimentia, quorum nonnulla morbum recté inducunt.

Has, et hujusmodi causas, apoplexiam concitare minime dubitari potest; quali autem modo in cerebrum, et nervos, agant, qualesve sint mutationes, quæ efficiuntur, ignorare me fateor.

SECT.

## SECT. IV.

*De Morbi Ratione Medendi.*

CURATIO ex jam dictis in tria consilia quasi sponte se dividit.

I. MORBO VENIENTI OCCURRERE.

II. PAROXYSMUM PRAESENTEM TOLLERE.

III. HEMIPLEGIAM, QUAE CONSEQUITUR, AMOVERE.

PRIMUM CONSILIUM absolvitur vitando causas excitantes, ex quibus periculum præcipue et proxime pendet; et corrigendo proclivitatem, quatenus hoc fociatis regiminis et medicamento- rum viribus fieri potest. Horum usus violentia signorum, aegri ætate, corporis habitu, et varia

consuetudine, gubernari, ac moderari, debet : cùmque vasorum cerebri plenitudo sit causa prædisponens, ex qua paroxysmus instans præcipue pendet, ad illam tollendam totis viribus incumbere debemus; varia suppetunt remedia, quibus hic finis absolvitur; præcipua sunt sanguinis detractio; medicamenta cathartica; fetacea et fonticuli; tonsura capitis; errhina; dieta; et exercitatio; de quibus paucis sigillatim agemus.

Quamvis nullum sit remedium præsentius aut efficacius ad plenitudinem tollendam quam detractio sanguinis, cum tamen corpus solvit, laxat, et idem malo opportunius reddit pessima ex ejusdem usu timenda, nec unquam in casibus ordinariis adhibendam censemus: in exemplis autem gravioribus, quibus paroxysmus instat, est certe auxilium, cui soli confidere possumus, cujusque usu tempestivo, maximæ aegrotanti sanitatem recuperandi fortes erunt. In exemplis ubi de sanguine detrahendo ancipites hæremus,  
hirudines



hirudines temporibus admotæ, vel occipitis scarificationes consilio quam optime respondebunt.

Cùm alvi purgatio peculiari in sanguinis cursu a capite avertendo vi pollet, eandem finem nostro bene accommodatam putamus : acriora autem cathartica nunquam nisi in gravioribus exemplis danda sunt ; quia sanguinis cursum nimis festinando plus damni interdum quam boni afferre possunt : mitiora igitur, qualia sunt pulvis jalappæ compositus, et potassa tartarizata anteponenda sensimus ; hujusmodi mitiora, semel septimanâ data, menses, vel etiam annos, præscribi possunt.

Setacea et fonticuli ad generalem corporis plenitudinem minuendam plurimum prodesse possunt ; et posteriori colli parti, si optio nostra fuerit, indenda suaderemus ; Professor GREGORY exemplum tradit hominis, qui magno hujusmo-

di fonte pisi ope copiose manente, dieta parca, et alvi purgatione, apoplexiæ impetu per plures annos immunis evaserat.

Tonsura capitis, præfertim si caput simul frigida sæpius lavetur, haud aspernandâ in paroxysmo arcendo vi pollet.

Errhina semper, ni aeger antea eis assuetus fuerit, vitari debent: et hic etiam, caute præscribenda sunt: copiaque paulatim minuenda est, donec tandem sine periculo penitus subduci queant. Sunt qui eadem, ob copiosam mucii excretionem, quam efficiunt, capitis vasorum plenitudinem minuere contendunt: quantum autem hac ratione profunt, tantundem sanguinis cursum caput versus per stimulum suum faciendo, obsunt.

Porro alia suppetunt auxilia, quibus teste experientia, paroxysmus certius arceri potest; hæc

F

sunt

funt diæta parca, et exercitatio idonea peritè ordinatae.

Diaeta omnigena nimis stimulans, quales sunt carnes, quæ per se faciem rubore suffundunt, condimenta, butyrum &c. caute vitanda est; et hujusmodi rerum stimulantium vice, cibus ex frugibus mitioribus paratus concedi debet. Abstinentum est quoque ab omnibus potionibus meracioribus, vino nimirum, et liquoribus spirituosiss, ac fortioribus fermentatis. In omnibus autem casibus cerevicia tenuis, quippe quæ alvum leniter laxat permitti debet, et aquæ anteponenda videtur.

Hæ tamen regulæ aetate provectis et victui pleniori assuetis minus rigidè præcipiendæ sunt; hi enim aegri stimuli soliti imminutionem non sine molestia, vel etiam periculo ferre valent: in hujusmodi igitur casibus, cibus præfertim ex carnis tantum minuendus est: coenæque ex his pa-



ratae penitus prohibendae sunt. Porro si potionibus meracioribus quotidie assueti fuerint, paucillum ipsis concedi debet.

Exercitatio licet omnium remediorum in hoc morbi stadio longe optimum, si tamen nimia fuerit, et praesertim si aegrotans obesior, vel aetate provecior sit, haud raro causa morbi excitans fieri solet; ut supra exposuimus; istiusmodi igitur aegris cautissime administranda est: exercitatio debet esse ea, quae halitui cuticulari sustinendo par existit; nec unquam tanta esse debet, ut respirationem acceleret, aut corporis calorem intendat.

Si aegri ad ambulationem non valent, gestatio primo in rhedâ, et postea, quando plus virium habebunt in equo sedulo usurpanda est: nec raro post hoc ambulationi pares evadent. Exercitatio lenis, crebra tamen esse debet, et fatis diu adhibita; hoc enim modo sanguinis cursus ad  
corporis

corporis superficiem dirigitur ; et plenitudo occurritur.

Una cum his auxiliis justus frigoris gradus proderit : aegerque capite solito altiore dormire debet.

## II. PAROXYSMUM PRÆSENTEM TOLLERE.

Paroxysmo astante, aegro vestes statim exuendæ sunt ; et fenestris &c. apertis in aëre frigido, et situ erecto, collocari debet ; interea cavendum ne hominum turba, quippe quæ aërem corrumpit, et calefacit, circa aegrum congregetur ; quo facto, varia auxilia ad pressuram cerebro illatam, sanguinis nimirum detractio, medicamenta cathartica, emetica, et exulcerantia, statim adhibenda sunt.

Sanguinis detractio in omni apoplexiæ vel hemiplegiæ exemplo, quod ex hydropisi, vel ex potentiis sedantibus non evidenter pendet, sta-

tim

tim usurpanda est : et consuetudo fuit sanguinem mittere ex venis jugularibus, vel si hoc frustra tentatur, ex arteriis temporalibus, vel denique, si hæc pertundi non possunt, quævis corporis vena statim incidi debet. Haec exinanitio, corpore erecto, quippe quod consilium nostrum manifestè adjuvabit, perficienda est : sanguisque prima vice, ad uncias sexdecim, vel viginti mittatur oportet.

Interea detractio sanguinis topica minime negligenda est ; hæc vel hirudinibus occipiti admotis, vel scarificatione, vel denique cucurbitulis cum ferro fieri potest ; hæc autem, quippe qua sanguis citius detrahitur, anteponenda est. Nonnulli, uno corporis latere gravius affecto, sanguinis ex latere contrario detractionem plus profuturam crediderunt. Omnibus his modis sanguinis detractio non solum generalem corporis plenitudinem, sed etiam, quod hinc consequens est, impetum ejusdem cerebrum versus statim imminuet.

Alvi



Alvi purgatio semper cum sanguinis detractio-  
ne conjungi debet: et eandem inter prima re-  
media huic malo accommodata existere, ex ante-  
a expositis facile constabit: si devorandi vis fu-  
perfit, cathartica ore dari oportent: sin minus, e-  
nemata acria injicienda sunt.

Vomitio præterquam in casibus, qui ex nimia  
ventriculi distentione pendent, nunquam, astan-  
te paroxysmo, permitti debet: quia vomendi  
actione facies non solum plenis tumescit, et rubore  
suffunditur; sed etiam oculi lacrymas effundunt,  
et sanguine turgidi fiunt, et scintillæ sæpe ipsis ob-  
volitant; aegerque ob sanguinis impetum in ce-  
rebro sauctum vertigine corripitur: et respira-  
tionem per vomendi actionem impedita, latus cor-  
dis dextrum se facile deplere non valet: et hinc  
venæ, quæ sanguinem ex capite reducunt, tur-  
gescunt.

Medicamenta exulceratoria cum maximo com-

modo, præsertim partibus capiti vicinis, posteriori nimirum colli parti, vel pone aures imponi possunt; cursum sanguinis a partibus internis ad externas faciendo prodesse videntur.

Si morbus ex diathesi hydropica oriatur, medicamentis catharticis, et exulceratoriis, optime tractabitur.

Si apoplexiæ insultus potestates sedantes causam agnoscat, morbus principiis diversis ab his de quibus supra egimus, curandus est.

Quando venenum, quod morbum excitat, recens in ventriculum recipitur, vomitum interdum cito efficiet: hic vomitus promoveri debet; quando autem venenum vomitionem non ciet, vomitoria, quæ subito operantur, Zinci nimirum *sulphas*, & c. statim adhibenda sunt. Contra autem, si venena diu in ventriculo, nulla vomitione excita, permanferint; nihil commodi ex emeticorum usu percipi potest:

potest: cumque nulla fit ratio, cur cerebrum in huiusmodi exemplis, sanguinis circuitu premi credamus, hoc tantum annitendum ut æger aere frigido, aliisque stimulantibus, quorum præcipuum videtur frigida, faciei aliive corporis parti, effusa, excitetur.

-III. HEMIPLEGIAM, QUÆ CONSEQUITUR, AMOVERE.

Si paroxysmus hemiplegiæ formâ adoritur, mendendi ratio, ideo quod causæ sunt eadem ac in apoplexia idiopathica, prorsus eadem fit oportet: et quando hemiplegia apoplexiæ supervenit, est cur cerebri pressuram in aliquod tempus postea superesse credamus. Hoc clarius patebit ex CULLENI verbis, ubi dicit, “ Where a fit of apoplexy has gone off, and there appears a state of palsy appearing as a partial affection only, it might perhaps be supposed that the origin of the nerves is in a great measure relieved; but

in



“ in so far as commonly there still remain the  
 “ symptoms of the loss of memory, and of some de-  
 “ degree of fatuity, these, I think, shew that the or-  
 “ gan of intellect, or the common origin of the  
 “ nerves, is still considerably affected.”\*

Quamdiu igitur hæc signa perstant in eadem  
 medendi ratione, quam in apoplexia commenda-  
 vimus, plus minus strenue adhibitâ prout signa  
 postulaverint, perstandum erit.

Ratio autem medendi omnino diversa sit oportet ;

*1mo*, Quando morbus in tempus infigne protra-  
 hitur.

*2do*, Cùm signa cerebri pressuram indicantia, tol-  
 lantur.

G

3tio

\* First Lines of the Practice of Physic, 1145.

3tio, Quando malum ex fedantibus oriri cogno-  
 scetur.

In hujusmodi enim exemplis pressuram cere-  
 bro sublatam ponimus ; dum læsio sola perstat :  
 quod optime illustratur tali cujusvis nervi pressu-  
 râ, qualis dotes ejusdem naturales non perdit :  
 tunc enim in parte, in quam nervus diffunditur,  
 torpor sentitur, qui quamdiu pressura adhibetur,  
 augeri perstat : hic autem effectus, pressura sub-  
 lata, non tollitur, sed paulatim minuitur, donec  
 partes tandem ad functiones naturales restituen-  
 tur. In istiusmodi igitur casibus remedia, quæ  
 commendari solent, sunt stimulantia, eaque præ-  
 fertim, quæ in systema nervosum solum agunt.  
 Cùm autem morbi ad redeundum proclivitas  
 semper plus minus præceps sit, ad hanc, inter  
 stimulantia danda, animus sedulo adverti debet.

Hæc stimulantia sunt vel interna vel externa.

Extrema

*Externa.*—Magna horum varietas commendata fuit: sequentia autem præcipua videntur: aqua nimirum *ammoniacæ* causticæ oleis conjuncta: hujusmodi præparata, partes quibus admoventur, insigniter calefaciunt; *ammonia* pariter errhinum præscribi potest. Horum autem medicamentorum princeps est sinapi, eidemque maxime fidendum est; cavendum autem ne partes exulceret. His conjungi possunt cantharides, ita tamen ut cuticula in vesiculas non turgeat: spiritus vinosus *camphoratus*; urticarum punctio; frictio vel strigili, vel panno laneo; et calor.

Quando morbus ex viribus sedantibus oritur, frigus frigidarii forma præscribi debet: hoc autem in tempus breve tantum, ususque ejus effectibus, quos ederit, gubernandus est.

Aura electrica apud quosdam in pretio habetur: hujus autem usus admodum anceps videtur, vasa enim stimulando morbum reducere potest.



Exercitatio denique nunquam omitti debet; namque veluti fama, aegrotus hoc malo laborans.

“Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.”\*

Cæterisque omnibus longè gestatio eminent; non solum quia aeger viribus propriis se exercere nequit; sed etiam quia stimulus virium quæ ingestatione exercentur, mediocris, et idcirco tutus, existit.

Præter hæc autem animus ad partem affectam nunquam non adverti debet; hæc sæpius movenda est: si aegrotans ad hunc motum non valet; nihilo tamen minus moliendum est: quia nullus licet motus sequatur; actio tamen voluntatis inter stimulos efficacissimos, et maxime naturales, qui adhiberi possunt, existit.

*Interna.*---*Carbonas ammoniæ* dari solet; hujus autem medicamenti effectus plerumque parum efficax comperietur. Fruges ex classe Tetradyamià

\* Virg.

tradynamiâi plura medicamenta stimulantia interna, quæ cum felici interdum exitu dantur nobis suppeditant, et hujus classis instar omnium sunt sinapis femina integra data. Varia aromata commendata fuerunt: cùm hæc autem insigni in systemate vasculoso vi agunt, omittenda videntur. *Guajacum*, *terebenthina*, variaque medicamenta foetida subinde data fuerunt, his autem fidere nolumus. *Cinchona officinalis* et ferum eodem consilio, sed frustra, administrata fuerunt.

Denique quod omnium horum stimulantium internorum usum attinet, eundem semper suspectum habere debemus: summâ semper prudentiâ danda sunt: incaute enim adhibita tantum abest ut profint, ut morbum nonnunquam concitent.



---

---

## C O R R I G E N D A.

- Pag. 2. lin. 1. *pro* veniente *lege* venienti.  
6. — 10. *pro* hemephlegia *lege* hemiplegia.  
— — 14. *pro* necquiquam *lege* nequicquam.  
7. — 12. *dele* (,)  
— — 19. *pro* concitatur *lege* comitatur.  
8. — 14. *pro* descenderit *lege* descenderat.  
12. — 12. *post* ralyfi *adde* haud.  
16. — 3. *pro* occidere *lege* accidere.  
18. --- 19. *pro* tandem *lege* tantum.  
21. --- 7. *pro* ceteraque *lege* cæteraque.  
22. --- 3. *pro* ignarum *lege* ignavum.  
--- --- 19. *pro* obnoxiam *lege* obnoxium.  
25. --- 14. *pro* concitarent *lege* concitarunt.  
26. --- 2. *pro* offundit puero *lege* offundit ; puero.  
30. --- 8 et 11. *pro* cæli *lege* cœli.  
36. — 5. *pro* persisterent *lege* persiterint.  
40. --- 12. *pro* sensemus *lege* censemus.  
41. --- 1. *pro* manente *lege* manante.  
--- --- -- *pro* diæta *lege* diætæ.  
46. — 5. *pro* oportent *lege* debent.  
47. — 17. *pro* excita *lege* excitata.  
48. — 6. *pro* effusa *lege* affusa.
- 
-





